

duratio Cœli in suo esse constituitur, ast id est cœlum durat; quia in esse suo permanet, & abolitis omnibus, quorum duratio per motum cœli investigatur & cognoscitur, adhuc cœlum durare posset. Duratio enim alicujus rei est maximè intrinseca, quare nec per extrinsecam relationem constitui, nec tolli potest. Neque suæ causæ meliorem fore conditionem sperandum Thomistis, si ad alterum extremum prolapsi fuerint, statuendo, formale Durationis consistere in actuali mensuratione ejus, quod est intra rem durantem, quid enim respondeant Suario, qui d. 50. secl. 2. n. 7. hac in parte se illis opponit, non habent: Si duratio, inquit, est mensura ejus rei, cuius est duratio, quidnam in illa mensurat? dicetur fortassis mensurare illius esse. Sed contra: nam vel mensurat perfectionem illius esse, & hoc non, tum quia perfectio rei non consistit in ejus duratione, neque inde augetur aut minuitur formaliter loquendo, tum etiam, quia potius perfectio durationis mensuratur ex perfectione ipsius esse, vel mensurat aliam quantitatem ejus, & hoc non, ut per se manifestum est, vel denique mensurat durationem illius, & hoc perinde est, ac si diceretur, durationem esse mensuram sui ipsius, quod dici etiam non potest. Nam, ut notavit Scotus in 2. dist. 2. §. ad secundum &c. mensura semper est aliquid extrinsecum, quo utimur ad cognoscendam rei quantitatem aut perfectionem. sumitur ex Arist. 10. Metaph. c. 2. & 3. dicente mensuram esse id, quo cognoscitur quantum, non cognoscimus autem quantitatem rei per se ipsam, sed per aliam ei applicatam. Unde ibidem ait Arist. mensuram debere esse notiorem mensurato. Quocirca si contingat magnitudinem alicujus quantitatis se ipsa cognosci, verius dicetur, cognosci sine mensura, quam per se ipsam mensurari, aut per se, tanquam per mensuram sui ipsius cognosci. Hactenus Svarez. Habeant E. suam sibi de Durationis formalis sententiam Thomistæ: nihil quidquam ei fundamenti inesse nobiscum sentit etiam Mendoza disp. 17. secl. 1. §. 3.

Th. 13. Alius aliorum circa præsentem materiam prostat. Autorum sentiendi modus, qui uti non adeò multum ab hypothesis prioris deflet, neque maiorem meretur commendationem, nimilrum sentiunt: Durationem esse denominacionem purè extrinsecam. Præsupponunt E. aliquam rem, ut durare possit, debere existere simul cum aliquo extrinseco, tempore scilicet reali, actuali vel potentiali, à quo denominetur: ne autem